

Gutachten Johann Groppers bezüglich der römischen Kaiser- und Königswahl

In negotio omnium gravissimo et maximo cessionis sacri Romani imperii per procuratorem Caesaris in Ferdinandum regem persentibus electoribus Francofordiae factae, mihi pro presenti corporis mei statu in lecto decumbenti exhibita et praelecta fuerunt: In primis scriptum oratoris Ferdinandi regis Ill^{mo} et R^{mo} D. Cardinali Carafae exhibitum, deinde literae regis Hispaniae ect. Philippi Hispanico sermone ad Ill^{mm} ac R^{mm} Card. Pacecum conscriptae, mihi qui eius linguae ignarus sum interpretatae.

E contrario vero duo iuris responsa alterum prolixius cum insertione copiosae iurium allegationis, alterum brevius et succinctius, tertio collectanea quaedam ex historiis de iure et autoritate summi pontificis, et sacrosanctae Sedis Apostolicae super sacrum Romanum imperium.

Super quibus habita mecum, quantum presens languor permisit, deliberatione, in primis quidem hoc pro indubitato habui memoratam cessionem praeter omnem praeviam damnationem, requisitionem et permissionem S^{mi} D. N. vitiosam esse. Ideoque a Sua S^{te} illi iuste contradictum, maxime ne res talis in posterum in malam consequentiam, non sine maximo et gravissimo religionis et sanctae ecclesiae detrimento trahatur.

Nam, ut alia omittam, iuramentum quod Romani reges et imperatores summo pontifici more maiorum praestant in Clem. Romani principis de iureiurando comprehensum diserte continet, quod promittunt, spondent, ac pollicentur, ac iurant coram Deo, ac beato Petro se de caetero protectores, procuratores ac defensores fore summi pontificis et sanctae Romanae ecclesiae in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis custodiendo, et conservando possessiones, honores et iura eius, quantum divino suffulti adiutorio fuerint secundum scire et posse suum recta et pura fide.

Igitur cum ex hoc iuramento inter summum pontificem et Carolum caesarem obligatio, eaque non vulgaris, sed omnium gravissima fuerit contracta, non poterat caesar ab eiusmodi obligatione nisi permissu S^{mi} D. N. discedere, aut alium Suae S^{ti} sine eius scitu delegare.

Nec hoc vitium, mea quidem sententia, excusat scriptum oratoris Guzmanni, tametsi enim ille dicat cessionem hanc non fuisse factam in manus electorum, sed Ferdinandi regis, id tamen cessionis nihil suffragatur, cum praecedere debuerit requisitio et assensus summi pontificis.

Neque prodesse potest, quod allegavit cessionem factam esse non in quamcumque personam, sed in eam, quae iam ex multo tempore Romanus rex fuerit apostolica auctoritate confirmatus, et Aquisgrani more maiorum coronatus in imperialem dignitatem per cessionem seu mortem successurus.

Nam quod ad casum seu conditionem mortis attinet, id forte locum habere poterit, minime vero obtinere poterit in casu cessionis minus legitime factae. Uti haec cessio facta est ex causa suprascripta.

Maxime autem quod tempore cessionis res inter summum pontificem et Carolum caesarem nullo modo integra fuerit, obligatus enim fuit Carolus caesar, ut protector, procurator et defensor summi pontificis et sanctae Romanae ecclesiae in omnibus necessitatibus et utilitatibus custodire, et conservare honores et iura eorum secundum scire et posse suum. Pontifex autem queritur autem queritur sub imperio Caroli honores et iura sua et ecclesiae Romanae horribiliter fuisse oblaessa, diminuta et conculcata, quae per Carolum caesarem, ut obligatus erat ante factam cessionem, non sint in integrum restituta, ut proinde caesari non licuerit inscio pontifice alium substituere, qui obligationem, qua ille tenebatur, exqueretur. Nam pontifex, qui Carolum imperatorem fecit, videtur proprie eius personae potentiam, industriam, aliasque virtutes respexisse; atque hactenus de scripto Domini Guzmanni.

Litterae vero regis Philippi ad cardinalem Pacecum datae, mihi graviores et efficaciores videntur ad placandum et mitigandum summi pontificis animum, ne summo iure in hac causa omnium maxima equa vel bene, vel secus terminata, vel salus, vel pernicius non modo Romani imperii, sed etiam totius reipublicae christianae dependere videntur, agere pergat, sed in componendo negotio innata ac solita humanitate, atque benignitate utatur, maxime ob gravissimos motus, qui alioqui in populis illi vehementissimi Spiritus, qui et nunc insania quadam ob haeresim, qua immanissima tenentur, cum semel fuere ceperint, implacabiles videntur, eiciendi forent.

Accedit quod rex Philippus videtur caesarem patrem modestissime ab omni suspitione contemptus Sedis Apostolicae excusare conari, quod quae fecerit simplicissimo et ab omni fraude alieno consilio fecerit, urgente eum sui corporis, et virium manifesta imbecillitate, qua prohibitus tantam molem sustinere diutius non potuerit.

Id vero omnium maxime in litteris memoratis mihi spem fecit huius negotii tranquille, et sine maiore dissensione componendi, nimirum, quod Philippus rex haud plane inficiatur in hoc negotio quid errois incidisse, sed quod a summo pontifice ob bonum publicum et humaniter sit condonandum, maxime cum sarta tecta esse possit auctoritas sacrosanctae Sedis Apostolicae. Haec hactenus de litteris regiis indicasse sufficiat.

Iam quod ad scripta et responsa iuris pro S^{mo} D. N. auctoritate huius S. Sedis confecta attinet ea, quantum potui assequi, tum cessionem, tum personam Ferdinandi regis coarguunt, ac impugnant auctoritatemque huius sacrosanctae Sedis et quid summum pontificem in hac re pro illa conservanda facere oporteat, copiose deducunt.

Et quidem si historiae et iuris responsa, quod genus etiam per multa alia in eandem sententiam quondam Collegio accurate inspiciantur, negari non potest ea sic se habere si summum ius, et extremum rigorem S^{mus} D. N. persequi voluerit.

Sed gravissima illa discrimina, et detrimenta reipublicae christianae, quae hinc consequi possent, atque ideo certa eventura forent, animum meum commoverunt, ut de aliqua media via mitiori, qua non minus, sed etiam illustrius

Apostolicae Sedis auctoritas retineri et conservari posset, cogitarem: maxime quod rationes, et viae illae declarandi cessionem Caroli caesaris nullam et irritam fuisse, et nihilo secius, quod eius personam attinet imperium vacare, multum difficultatis post se trahere videantur.

Etenim si pontifex ad declarationem nullitatis cessionis procederet citandi, in primis erunt ad causam Carolus caesar Ferdinandus rex, principes electores, qui ad factam cessionem regem Ferdinandum imperatorem publicarunt, eiusque edicta receperunt, et per imperium publicari fecerunt, aliique omnes interesse habentes, foret causa iudiciario quodam ordine peragenda. Unde quantum malorum extimescendum foret, facile perpendi potest.

Maxime quod et Carolus caesar, et Ferdinandus rex, et electores, quin etiam ut videtur omnes imperii ordines existimabunt de sua perpetua ignominia agi, quam illos modis omnibus depellere oporteat videlicet, quod si declaretur cessio nulla caesar, et rex eo ipso, quod arguantur neglectorum iuramentorum, quibus Sedis Apostolicae tenentur obstricti, et electores, ceterique ordines crassae imprudentiae, et latae culpae incusentur, quod non probandam cessionem probarint, et, qui recipiendus non erat, in imperatorem receperint.

Deinde, ut videtur, huic sacrosanctae sedi ex cassatione cessionis, quae tantum abolitoria est, rei gestae parum fructus accedet.

Expetita autem et concessa eius approbatione mea quidem sententia cum actus affirmativus sit autoritas huius S. Sedis ex post facto non minus in integrum restitueretur, quam si a principio intervenisset, cum in his et similibus consensus Domini a principio vel ex post facto aequiparentur, maxime quod hoc casu quod Carolus tantus caesar, tantaque sapientiae, et virtutis princeps non praesumatur voluisse cessionem eiusmodi facere, nisi salvo iure sui Domini iuxta fidem ei datam.

Porro si S^{mus} D. N. preter annulationem cessionis declarare quoque pergat imperium vacare, non minora, sed mazora etiam videntur expectanda incommoda.

Certe ad hanc declarationem faciendam non minus opus erit citatione, et ordine iudiciario adversus omnes interesse habentes, quam in superiori capite. Quae res quam graves motus foret excitatura, nemo non videt.

Deinde electores principes et ceteri imperii ordines asseveranter contentent secundum imperii leges, et quam vocant, auream bullam imperium nunquam vacare quamdiu vel imperatorem vel regem Romanum superstitem habet, ac id exemplis, et more maiorum manifesto declarari cum superioribus temporibus, permulti fuerint Romani reges, et inter alios Henricus Anceps, et Rodolphus ab Habsbugo huius Austriae familiae parens, qui contenti regio titulo, non accepto imperii a summo pontifice diademato imperium rexerunt.

Denique quod hic omnium maxime considerandum videtur, per hanc declarationem vacationis imperii videbitur summus pontifex se magis in quasdam angustias coniiicere quam huic sacraosanctae sedis libertatem vindicare.

Etenim, et secundum iuris communis dispositionem et morem maiorem in una eademque sententia, qua declarabit imperium Romanum in imperatorem postea sublimandum, eligendum iuxta c. ad apostolicam de re iud. in sexto ac, si id fiat, agnoscat atque S^{tas} electores Lutheranos pro idoneis, ac inde tamen apud electores per sua imperatore ab ipsis publicato, in cuius verba iurarunt descisceret.

Haec sunt quae me permoverunt, ut existimaverim non summo iure aut extremo rigore in hac causa tanti momenti agendum esse, sed mediam, eamque mitiorem viam amplectendam, quae salvo semper exactissimo et sapientissimo iudicio S^{mi} D. N. talis esse posse videtur.

Nempe cum rex Philippus quodammodo fateatur in litteris suis aliquid erroris in hoc negotio admissum esse, quae potissima solet esse causa ignoscendi, et videatur hic error magis processisse ex quadam incuria procuratorum et agentium caesaris, quam ipsius caesaris personae. Nec dubium sit apud principem Aurantium, caesaris in hac re procuratorem, adhuc sui domini extare mandatum, verisimileque sit idem mandatum, cum a prudentissimis et iuriscientissimis caesaris consiliariis in inferiore Germania confectum sit, omnia ex parte sufficiens esse, eiusque vigore adhuc ea, quae omissa sunt a S^{mo} D. N. cum agnitione et deprecatione erroris admissi peti et obtineri posse, maxime quod Carolus caesar adhuc vivat et Aurantius illo vivo iam pro parte mandato suo usus sit.

Idcirco mihi quidem proo tenuitate ingenii mei ita visum est S^{mmo} D. N. non indignum se facturum, si huiusmodi via in hoc negotio componendo utatur.

Videlicet ut domino Vargae toties supplicanti aut alii mandatum habenti ita responderi faciat. Illi ut iurisperito non posse non constare cessionem ab Auran-
tione caesaris nomine factam Sua S^{te} irrequisita vitiosam, et nullam esse, et nisi prospiciatur per S. S^{tem} in grave huius sacrosanctae sedis praeiudicium tendere. Et quamquam S. S^{tas} iustissimam causam haberet pro retinendo et conservando iure huius Sanctae Sedis remediis a iure proditis uti nimirum.

Ut cessionem huiusmodi cassam, nullam et irritam, quod ad Suam S^{tem} attinet fuisse declarat, cum vero quod ad personam Caroli caesaris cedentis attinet, eam in ipsius praeiudicium tenere constet, idcirco eius causa imperium vacare, et proinde locum esse extravaganti Io. xxii: Ne sede vacante aliquid innovetur.

Attamen ne S. S^{tas} in hoc gravissimum negotium summo iure agere, et magis suae auctoritatis, quam tranquillitatis utilitatisque publice rationem habere videatur, praesertim adversus nobilissimam familiam Austriacam, erga quam tamen auctoritas huius S. Sedis integra conservetur publicae pacis et tranquillitatis ergo, ut et pacificandae religioni eo melius via sternatur libenter discensuram, seque eo adduci passuram, ut quod ab initio fieri debebat, id adhuc debita simultemnitatem ex post facto fiat, et accedente S. S^{tis} approbatione et suppletionem, quod nullum est auctoritate apostolica convalescat. Idque in hunc modum.

Ut scilicet Aurantius Caroli caesaris procurator coram S. S^{te} compareat, fateaturque agnoscat in hoc, quod ad factam cessionem sine permissu Suae S^{tis}

attinet, incuria et inadvertentia quadam erratum esse, quod Suae S^{tis} consensus, ut fieri debuit, prius non fuerit requisitus, quem errorem admissum, benigne a S. S^{te} condonari petat, ulteriusque vigore memorati sui mandati a Sua S^{te} humiliter deposcat, ut cessionem Caroli caesaris, simplici ac bona fide, citra praeiudicium huius Sanctae Sedis factam, auctoritate apostolica clementer admittat, ratam habeat, confirmet ac corroboret, et in publicationem Ferdinandi regis in imperatorem consentiat.

Id enim si fiat non solum Sedis Apostolicae auctoritas in hac re recuperata, sed et illustrata videbitur, maxime si idem a Ferdinando rege requiritur ut huiusmodi cessionis admissionem, et confirmationem, ut praescribatur faciendam, in futuris comitiis imperialibus coram ordinibus imperii publicari faciat, declaretque hac ratione, si quid dissensionis inter S^{mm} D. N. et S. M^{tem} inciderit, singulari Dei favore ad publicam tranquillitatem esse sublatum.

Ceterum quod ad ea attinet, quae personae regis Ferdinandi obiiciuntur, sunt ea quidem talia, ut excusari in totum non possint praesertimque tam multa in quibusdam decretis comitialibus, maxime Pataviensi, et Augustano novissiom de religione perperam constituta sint succedente etiam illis praetextu de religione colloquio absque omni permissu S. S^{tis}, cum manifestum sit Ferdinando regi de religione, quovis modo disponendi, praesertim in eius detrimentum et eversionem penitus nulam attributam esse et Martianus pie agnoverunt. Quod et ipsa ratio suadet, nam si imperator catholicus est, filius est, non praesul ecclesiae; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere, habet privilegia suae potestatis, quae administrandis legibus publicis consecutus est, et eius beneficiis non ingratus contra dispositionem coelestis ordinis nihil usurpet.

Et constat non aliam viam esse salutiferam dirimendarum fidei questionum, quam universalis concilii auctoritate summi pontificis indicti, cum fides pertineat ad universos.

Haec quidem recte obiiciuntur Ferdinando regi, tamen quia eius culpa in subscriptione et sigillatione eiusmodi decretorum eo minus gravis et excusabilior esse videtur, quod per ordines seu status imperii, qui a se consultata et conventa S. M^{ti} obtulerunt, ut hac parte fecit, necessitate quadam impulsus fecisse videatur ad retinendam qualemcumque in imperio tranquillitatem, quam alioqui retineri non posse ob Lutheranorum intemperiam, cetrum est eum credidisse.

Quod vero eius personae obiicitur suspectam eam de religione merito haberi cum tot permittat concionatoribus lutheranis in suis ditionibus officio praedicationis ad populum fungi, tum quod eius incuria et mala educatione Maximilianus rex Bohemiae in fide vaccillare coeperit, et quod in utriusque ditionibus communio sub utraque specie, et connubium sacerdotum contra oecumenica ecclesiae catholicae concilia, non connivendo tantum, sed palam permittatur.

Certe quoad primum attinet, eius equidem sum plane in certus, profecto consiliarium qui, cum plures successu temporum apud me fuerunt, ad unum omnes testati sint Suam M^{tem}, quod ad se attinet, catholicae religioni plane addictam, et iniquissime ferre, si quid contra agatur, eaque ratione catechismum de religio-

ne plane catholicum, quo uti debeant scholae, in superiore et inferiore Austria evulgasse. In quo disserte etiam communio sub utraque specie, ut schismatica, et connubium sacerdotum improbantur.

Quod mutationem filii ipsius attinet, hanc aiebat M^{ti} Suae maximum dolorem attulisse et in dies adhuc afferre, nec eam paterno officio defuisse sepius admonendo et ut per caesarem et Phylippum regem admoneretur curando.

Utrumque vero ista se habeant videtur S^{mo} D. N. in presentiarum optima et opportunissima oblata occasio, utrumque in viam, quatenus exesserint, revocandi, et quae hactenus vitiose et perperam admissa sunt, corrigendi.

Nam ubi Ferdinandus a Sua S^{te} petierit, ut admissa cessione confirmetur in imperio aequissime ab eo Sua S^{tas} requiret, ut vicissim officium suum erga Sedem Apostolicam prestat, nempe ut secundum iuramenta antecessorum suorum se protectorem, procuratorem et defensorem Suae S^{tis} huius sanctae Romanae ecclesiae in omnibus necessitatibus et posse suum recta et pura fide realiter et cum effectu exhibeat. Et quae hactenus in comitiis imperialibus, et alias circa religionem perperam usurpata sunt, omni meliori modo, et secundum formam commonitorii seu instructionis, quam S^{tas} Sua ad eius M^{tem} per Nuncios suos mittet, aboleri stueat et ab eiusmodi deinceps penitus abstineat huc omnes suas cogitationes et actus dirigendo, ut religionis negotium non aliter quam via legitima hoc est concilii generalis determinetur, denique, ut filium in viam reducat aliaque faciat, de quibus per Nuncios Suae S^{tis} admonebitur.

Haec si rex Ferdinandus ita se facturum promittat, haud dubie in posterum tantam passus obiurgationem observabit, et promissa in scriptis redacta et signata S^{mo} D. N. tradat existimaverim ipse pro mei tenuitate ingenii et iudicii sanctissimum D. N. pro bono publico, redte in confirmationem, unctionem, consecrationem et coronationem regis Ferdinandi consensurum.

Atque haec fere est summa eorum, quae coram S^{mo} D. N. de hoc articulo pro captu ingenio mei quam humillime explicavi. Quid vero sentiam de via sternenda ad reducendam Germaniam, et religionem inibi restituendam, in aliud tempus differo, expectans S^{mi} D. N. de ea re mandatum et imperium, cui quantum sciam poteroque nunquam defuturus sum.

Vatikanisches Archiv, Codex Vat. lat. 6216 fol. 258-261 im selben Codex befinden sich zwei weitere Abschriften des Gutachten mit geringen Abweichungen. Editiert bei: Wilhelm van Gulik, Johannes Gropper (1503 bis 1559), Freiburg 1906, S. 262 - 267.